HAIMO ALTISSIODORENSIS
3. Viertel 12. Jh. Seite 3r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



3

nouissima hora est. Reuelat ergo xpc iohanni id est ec
clesie sue. & ea que cito transeunt & ea que cito adueni
unt. ut dum se temporaliter cernit affligi vel prosperari
cogitet breuitatem istius temporis. & quam uelociter tran
seant gaudia & tribulationes cum tempore. & quam ue
lociter eadem sine fine mansura appropinquent. Ac per
hoc nequaquam malorum prosperitatibus inuideat. sed potius
in suis aduersitatibus gaudeat. Et significauit.
Hoc loco significauit. non ab ostensione sed a signo posi
tum intelligere debemus. & hoc esse dictum significauit.
quod est sigillauit. Signum enim dicitur sigillum. Quo in loco
questio oritur quare hoc dicatur. cum in sequentibus inue
niamus dictum iohanni ab angelo. ne signaueris uerba
libri huius. Sed sciendum est quia sacra scriptura impi
is signo clauditur. fidelibus aperitur. Non enim propter
fideles seruos. sed propter fures & latrones diuicie sub
signaculo clauduntur. Sed dicendo significauit. & in
fidelibus claudi. & fidelibus spiritualiter exercicio docuit ape
riri. Unde & danieli dicitur. Vade quia clausi sunt
signatique sermones. usque ad prefinitum tempus.
Mittens per angelum suum. seruo suo iohanni. Iste ange
lus in figura xpi apparuit beato iohanni. Quia enim
cum patre & spiritu sancto filius unus est deus. omnia reuelans.
utique & illum angelum repleuit. & in illius corde habi
tans per eum locutus est iohanni. Ipse autem iohannes figu
ram ecclesie tenet. sicut in sequentibus uidebimus. cui xpc
sicut dictum est non in sua natura sed per angelum apparu
it. sicut olim fecit patribus. Expleto autem ministerio
propter quod uenerat. uisus etiam ab hominibus quamdiu